De
Cariei dentium origine
et
prophylaxi Commentatio,

quam

Viro illustrissimo

Francisco Gerhardo Wegeler,

Medicinae Doctori, Universitatis Bonnensis olim Professori P. O., a consiliis regiis intimis et in rebus medicis administrandis; Crucis ferreae et aquilae rubrae III. Cl. equiti lemniscato, Societatis medicae Viennensis, Parisiensis, Berolinensis aliarumque membro,

Solemnia semisaecularia celebranti

die primo Septembris anni MDCCCXXXIX, gratulandi causa

D. D. D.

Dr. ***Carolus Guilielmus Arnoldi.***

Confluentiae, 1839.
SUMTIBUS JAC. HÖLSCHER.

Jucundissima certe atque felicissima occasione mihi oblata, gratum non minus animum, quam pietatem meam Tibi designandi, doctorum vereor reprehensionem, quod particulam fere tenuissimam artis describendam susceperim.

Levidense, fateor, hoc munusculum aestimabis, si ex Tua dignitate, ex diei honestissimi splendore, vel ex meritorum Tuorum gravitate spectetur. Timerem profecto, ne Tibi displiceret opusculum, nisi ipse benignitatis et indulgentiae, quibus uti Tu soles, magnitudine convictus essem.

Amicitiam enim, qua patrem semper amplexus es, praematura jam morte nobis ereptum, in filios quoque contulisti, ita ut consiliorum

benignitate et paterno exhortationum amore patris locum tenere videaris.

Confidente itaque animo pietati id consecro, quod severiori Tuo judicio temerarium esset commendare. Difficile enim Tibi probari credendum est pleraque recentiorum de arte scripta. Nam quae longa annorum serie inventa sunt a viris in arte salutifera exercitatissimis, quae excogitata sunt ad artem firmius fundandam, locupletandam, exornandam, quae litteris mandata sunt a doctissimis, ingenii acumine, experientiae divitiis, eloquentiae viribus et ornatu praestantissimis: haec omnia Te Virum Optimum habuerunt testem, propria indagine plerisque antecedentem, speculatorem oculatissimum, exploratorem indefessum, judicem perspicacissimum, aequissimum, ita ut minima certe pars eorum, quae nunc scribuntur, vel a minutiarum sectatoribus Ephemeridum pagellis inseruntur, satis Tibi maturuisse atque tam perfecta Tibi videatur, ut aliquid ad artis incrementum conferre censeas. Neque tamen desunt indicia, quae meliora sperare nos jubeant.

Inter ea vero quae his nostris temporibus de rheumatismo vertebrarum ejusque variis symptomatibus atque sequelis inventa sunt, principem sine dubio tenent locum. Haec enim est hujus vix inventae, jam maturescentis doctrinae praestantia, ut absconditam hucusque intricatissimi morborum generis sedem atque naturam patefaciat et simul praeclare doceat, quomodo remediis praesentaneis et simplicissimis opinione celerius morbis periculosissimis, molestissimis, plerisque obscuris auxilietur. Haud immerito maximum censeamus oportet et scientiae et artis incrementum, quod jam primo fundamento posito tam insignia praestet.

Hujus vero doctrinae quum maxima fortassis pars adhuc indaganda sit, jam pridem apud me constitui, medicorum solertiae rem fructuosissimam commendare, et quae ipse iterum iterumque expertus sim, quantum per otium mihi parcius datum liceret, iisdem communicare. Quod quum propter temporis angustias hucusque fieri non potuerit, nunc, quod ad dentium quidem cariem spectat, pro virili parte ad solemnia

Tua celebranda confero. Quantulumcunque id est, quod mente devotissima Tibi offero, aequo animo velim accipias. Fruere praemiis laborum diu, quam felicissimus, rerum bene gestarum semper memor, gratiarumque tam publicarum quam privatarum ditissimus. Vale.



Experientiam sine certa rerum notione neque ad scientiam, neque ad artis exercendae operam quidquam conferre, omnes confitentur, quibus observationis recte instituendae atque collocandae difficultates ante oculos versantur. Quodsi exemplo opus esset ad demonstrandum, evidentissimum doctrina morborum dentium praebet, quae a medicis temere neglecta circumforaneorumque turbae relicta ita degeneravit, ut vix artis hippocraticae particulam recognoscas. Nam qui medici dentarii vocantur, artis medicae hospites, dum parti non contemnendae vivi corporis operam navarent, commercium neglexerunt ad vitam, nutritionem et functionem partium sustendandam maxime necessarium, quo intercedente quaecumque corporis vivi particula cum reliquis nectitur. Vitae praeterea praecipuas conditiones nescierunt, quibus integritas functionum omnium morborumque primae origines innituntur.

Ita evenit, ut cariem quoque dentium externarum causarum progeniem, extraneum quasi morbum fingerent, observatione, male interpretata, innixi, solutionem continui, via, atro quasi carbone notata, introrsum progredi. Sunt quidem medici, qui iis

assentiantur; noxiam tamen externarum rerum actionem plus quam par est extollunt; qua non sufficiente temere absconditas quasdam dispositiones accusant, vel pestiferis quibusdam acrimoniis humorum utuntur, immemores semper virium, quibus dentes, etiam laesi, concussi, luxati, detriti, fracti, terebrati, delimati, vel per acida, praesertim nitricum, tegumento eburneo prorsus orbati, ad resistendum parati sint. Vix crederes medicos esse, qui his nostris temporibus fictas praeteritorum saeculorum opiniones de humorum acrimonia, neglecto chemicorum auxilio, instaurare satagant. Neque enim ita explicant, sanum quemque hominem carie dentium corripi, neque liquet, quomodo ruinae dentium cariosorum tamdiu insultibus externarum rerum resistant in hominibus, qui sine dubio ea, si quae est, humorum acrimonia laborant, cujus ficta potentia eodem jam tempore jam alios dentes infestare incipiat.

Neque deerant profecto, qui contagionem suspicarentur, sicuti constat, quemcumque fere morbum, quousque fideli observatione natura ejus atque genesis inclaruerit, contagionis controversiam aluisse. Opinionem commentitiam sicco praetereamus pede. Neque minus incongrua cariei cum putredine comparatione libenter supersedeo.

Gangraenam quoque sine probabili causa ad explicandum non sufficere, apparet.

Inflammationem alii, praesertim Fridericus Bird,

et non sine aliqua veritatis specie accusarunt; sed minus probandum, cariem ex odontitide externa derivari, quum interna quoque dentis pulpa jam a principio affecta sit; neque hypertrophia substantiae osseae, id fieri certum est, qua meatus radicum sensim coarctentur et denique claudantur; hoc demum modo, destructis nervis atque vasorum lumine deleto, pulpam dentis emori, coronam putredine destrui, perhibent, ita ut exitum cum Huntero atque Furniero vix a gangraena discernas.

Ex inflammatione enim orientem gangraenam vix explicabis, nisi vel gravissimi dolores praecesserint, vehementissimam inflammationem designantes, vel causarum violentia accusanda sit, vel interno quodam vitio, nervorum resolutione, compressione, abscissione vita organica partium laesa sit.

Vehementiam inflammationis non in causa esse, dolores plerumque minores demonstrant, et ubi saevierint, aliam semper regionem tenent, quam dentis alveolum, neuralgicorum ceterum dolorum similiores, quam inflammatoriorum. Neque causarum vehementiam vel venenatam potestatem in causa esse, certissimum est. Quid nunc restat, quam ut suspicemur, nervorum vitium subesse, quo vel dolorum crudelitas minuatur, si quid inflammatorii adsit, vel morbum cariei praegredientem omnino diversae esse naturae.

Nos non citra evidentiam philosophari, docebunt sequentes pagellae.

Historia exesorum dentium quotidie evincit, cariem exitum potius morbi, quam morbum esse, qui re vera, tanquam sine simili, fugerit intelligentiae nostrae vim ac notionem. Priusquam enim dentis firmissima substantia nigrescat atque consumatur, morbus praecesserit necesse est, qui sublato vitae commercio ejus compagem ita solvat, ut structura dentium elegantissima, per principes anatomicorum nunc egregie descripta, mox atro quasi carbone notetur et non ita multo post leviori jam allisione corruat, vel chemiae legibus utique obtemperet.

Qui structuram organicam dentibus derogant, quod substantia eorum vasis sanguiferis careat, mirantur, jam sub macula exterioris substantiae, quam encaustum vocant, interiorem osseam ad cavum usque dentis nigro colore defoedatam inveniri; qui vero praegressa norint, alia quoque exorientis cariei signa observant, et ex lurido colore totius coronae, sensu dentibus proprio nunc prorsus deleto aliisque, degeneratum jam esse dentem, cognoscunt, priusquam distincta quaedam macula conspiciatur. Emortuos profecto jam dentes diceres, antequam excavantur, nisi essent non solum odontistae, verum etiam physiologi, qui sub obscuro organisationis nomine vitam omnibus corporis vivi partibus, vasis sanguiferis destitutis — tanquam organicis quidem, sed non organisatis — abrogant.

Equidem hanc infelicem atque sterilem distinctionem seponendam esse in morborum genesi expli-

canda existimo, quum dentes organo, quo oriantur, nutriantur, conserventur, instructi sint, a quo non nisi vi vel maceratione sejungi possint, membranam dico vasculoso-nerveam, mucosae oris contiguam, qua radix intus et extra ad coronam usque investitur, ut in canaliculos quoque chalicophoros, sine dubio membrana tenuissima, postea ossescente instructos, exeat. Quae vero tam intimo confirmationis nexu copulantur, theoria sejungi non licet. Nec quisquam dubitat, hac pulpa principium vitae nutritionisque dentium contineri, qua aegrotante integritas eorum periclitetur. Hoc observatio abunde confirmat. Si enim quaeras ex iis, qui dentes carie amiserunt, quomodo id acciderit, respondebunt, dentes singulos integros adhuc dolore plerumque exiguo, rarius magno, pruriente potius et titillante quam acri correptos esse; eosdem simul prominuisse, ut longiores facti cum sensu quodam levaminis mordicus in tumidos gingivae alveolos deprimerentur. Mox vero secunda vel tertia hebdomade dentem cum dolore sensum quoque omnem perdidisse, ita ut corpus quasi peregrinum semper lingua tetigerint; decolorem jam et lurido colore infectum maculam lividam vel fuscam contraxisse, sensim encaustum penetrantem; denique cavernam apparuisse totam fere coronae ambitum subfodientem et cuniculis quasi actis diruentem.

Accuratius observanti decursus morbi tria ostendit stadia.

Primum stadium irritationis signis notatur: dolore, intumescentia mucosae gingivarum atque alveoli cum dentis affecti prominentia.

Dolor admodum variat, cum vehementia, tum extensione. Dentes plerumque moleste pruriunt, simili quodam sensu, quo catarrhi membranarum mucosarum plerumque comitantur. Molestus titillationis sensus efficit, ut lingua, vel digiti fere continuo dentem, ob id ipsum mox acrius dolentem, attingant, quod etiam dentiscalpii usu evenit. Dolores vero diuturnitate magis quam cruciatibus defatigant; exacerbantur vespere et noctu, sicut manducatione ciborum solidiorum varioque ciborum atque potuum calore et genere: frigidissimis, calidissimis, mellitis, saccharatis. Remittunt interdum atque ita mitescunt, ut eorum obliviscantur aegroti, simulac alia quaedam cura, vel delectatio majorve cujusdam partis dolor animum impleat, ita ut artis musicae periti symphonia, poetae versibus, medici medicinam aliis faciendo dolorem per tempus sopiant, remittente vero animo redeuntem. Novi virum, qui, quum per plures menses lumbagine laboraret, plures dentes quasi inscius carie perdidit.

Neque tamen semper dolor dentium cariei destinatorum tam mitis est; sunt enim, qui eo oborto diris affligantur cruciatibus maxillas pervagantibus atque aures et tempora petentibus. Id tamen notandum est, sensibiliores tantum homines, praesertim feminas hisce cruciatibus vexari. Ejusmodi do-

lores, si qui vehementius urgent, ab inflammatoriis diversi, neuralgicam semper demonstrant indolem, tum subita apparitione, tum perfecta fere remissione, tum sede. Locum enim tenent facialis nervi ramusculis instructum, saepius etiam quinti vestigia premunt, atque vividiores facti omnibus notis dolorem Fothergillii repraesentant, symptomaticum quidem, nec vero semper extractione dentis affecti sanandum.

Haud raro dentes etiam vicini sensiliores deprehenduntur, quamquam rarissime plures simul carie invaduntur.

Intumescentia mucosae gingivae, dentibus male affectis proximae, vix unquam deest. Membrana enim mucosa, dentem ambiens, tumida, emollita, quasi holosericea, sensilior et rubore suffusa, purpureo fere colore tincta est. Membranam contiguam quoque alveoli dentium radices investientem eadem affectione laborare facile colligitur, et id quidem maxime ex protuberantia dentis non solum sensu aegroti percepta, sed visui et tactui obvia; nec minus ex aucta mobilitate dentis, ut vacillare videatur.

Interiorem denique dentium substantiam, partes molles cavo dentis contentas, jam a primo mali initio aegrotare, varia symptomata indicant; ingravescente vero malo sensus pressionis internae distentionisque coronae, ac si cuneus vicinos dentes sejungeret, conjecturam extra omnem dubitationis aleam ponunt.

Is dolor gravativus, pressorius coronae, qui

summum dentis periculum indicat, nonnunquam fere momento temporis sub sensu rupti seu diffissi dentis omnino disparet, exoriente plerumque maxillarum intumescentia; quo in casu diffissionis sensus stadio primo repentinum imponit finem, sensu dentis plane sublato; interdum vero dolores sinsim sensimque evanescentes sensationem abalienati dentis relinquunt, cum sapore quodam ingrato, ubi dens firmius *in alveolum deprimitur.*

Secundum cariei stadium torpore et stupore dentis affecti notatur.

Ubi desaevierint molestiae irritationis, fomes mali, sub cinere delitescens doloso, minus animadvertitur, quamquam signa adsint, quae suspicionem moveant. Dentem enim, qui dolorum fuerat sedes, mutato jam colore sensuque proprio penitus amisso, quoad vitam et structuram, gravissimum accepisse detrimentum apparet. Imminuto enim splendore luridum et opacum exhibet colorem, facile a squalore sordibusque adhaerentibus dignoscendum. Accuratius etiam inspicienti tenuissimae apparent fissurae, linearum adinstar, a centro exeuntes corticemque fere solam penetrantes.

Hac exteriori, solidissima substantia disrupta, futuram labem totius coronae facile auguraveris, quum perierunt munimenta, interiorem dentis substantiam ab injuriis aëris, ingestorum, ipsius demum morsus defendentia. Anceps tamen per plures menses haeret exitus, ita ut nonnunquam, felicissimo augurio,

discusso alveoli tumore dens subsideat atque denuo firmatus sensim sensimque pristinam sentiendi facultatem recuperet. Integritatis vero atque securitatis nulla signa sunt, praeter id, de quo mox sermo instituendus est, quo neglecto saepe revertantur irritationis molestiae, donec caries oriatur.

Multo tamen saepius jam post primum irritationis insultum res in pejus mutantur, quum doloribus nullo modore vertentibus torpor perdurat, usque dum, apparente macula, vel fissura nigrescente in dentis superficie,

Stadium tertium ingruat, exesionis progressu notatum, cujus descriptioni, tanquam notissimae supersedemus.

Id tamen moneamus necesse est, hanc coronae (potissimum) destructionem, secundum influxum atque efficaciam rerum externarum, cum mechanicarum tum chemicarum, citius vel tardius progredientem, propriis vacare doloribus, nisi denuo accersatur membranae radices investientis catarrhus iisdem fere ex causis, quae primam dentis affectionem provocarunt. Ejusdem generis etiam est prosopalgia, quae interdum destructionem dentis comitatur, cujus erat illa, de qua jam locuti sumus.

Neque praetereundum, iisdem doloribus eundem comitem, rheumatismum dicimus ventebrarum superiorum colli, perpetuo adhaerere, quo evanescente per naturae vel artis praesidia cruciatus dispareant, destructione dentis nihilominus progrediente.

Varias denique cariei formas breviter notemus. Humidam vel putridam vocarunt, quae catarrho mucosae comitatur superstite; siccam eodem sublato. Quas vero Duval subsistentes vel conquiescentes atque sanatas vocavit, rariores quidem formae, attentionem profecto merentur, quia probant destructionem jam subortam, profligato morbi principio, ita posse cohiberi, ut subsistente malo parietes cavernae cariosae nativam retineant resistentiam, sicut dentium radices, qui rarissime exeduntur; sanato autem malo substantiam osseam eum splendorem atque duritiem acquirat, ut incausto, jam pro parte diruta similis evadat. Si vera est fabula, profecto insigne naturae medicatricis exemplum profert.

Quae descripsimus symptomata stadii primi, pro parte nota, Fr. Birdio sub odontitidis externae nomine veniunt (cfr. ejus commentatio de natura et curatione morborum dentium in Diario Hufelandi 1832. August, p. 35—45). Nos inflammationis nominis, nimis ampli pertaesi, catarrhum pronuntiamus erysipelatosum propter constantem ejus connexionem cum rheumatismo, quem mox dicemus, columnae spinalis. Si qua est diversitas inter catarrhum acutum inflammationemque membranarum mucosarum, et est sine dubio gravissima, si pathogenesin atque praxin potius, quam doctrinam anatomico-pathologicam, quae nunc est, respicias, mor-

bum nostrum complicatum catarrhum nuncupare mavis, quam inflammationem.

Morbum enim semper ex suppressa cutis perspiratione, refrigerio praecipue pedum oriri, in confesso omnium est; nec minus certum, ea annua constitutione, eademque coeli tempestate, quae catarrhis maxime faveant, observari frequentissime. Nota praeterea est res, morbum haud raro catarrhum narium, faucium, veli palatini continuo sequi, nec minus hisce affectionibus solvi. Graviora rei affert argumenta dolorum natura, varietas, remissio praecipua sedis, inflammatoriis prorsus dissimiles; praesertim ubi memineris, quanta sit dolorum vehementia in partibus inflammatis, quae firmis finibus interclusa libere extendi nequeant, in odontitide interna v. c., quum in nostro quoque morbo interior dentis pulpa affecta sit. Gravissimum denique catarrhalis naturae testimonium curationis modus reddit.

Catarrhum vero erysipelatosum diximus propter rheumatismi connexionem et perpetuam et constantem.

Notissimum est, dentis dolores socium semper habere rigorem cervicis cum tensionis sensatione atque capitis movendi difficultate conjunctum. Molestia, sine dubio rheumaticae originis, hucusque parvi aestimata, summam meretur attentionem, quum re plenius observata altiores etiam mali radices appareant, rheumatismus videlicet columnae spinalis, et quidem vertebrae secundae colli, qui prominentia atque tumore processus spinosi epistrophei, tactum mi-

nus, quam depressionem reformidante, luculenter designatur, quam affectionem Hinterberger inflammationem arthritico-rheumaticam vertebrarum, Angli irritationem spinalem nominarunt. Observatione centies repetita, persuasissimum mihi est, ex hoc eodemque fonte cariem quoque orientem derivandam esse. Ubi enim inquisiveris, semper rheumatismum cervicis invenies, jam priusquam dentes doleant, sicut in quocumque cariei stadio, si dolor accesserit, qui notabili successu jam aliis, frustra tentatis, remediis cervicis malo accommodatis cito et tuto sanatur.

Mirum videri posset, hanc affectionem in frequentissimo fere morbo ad nostra usque tempora delituisse, nisi id peculiare haberet eadem, quod mysteriis plena, multo minus dolorum afferat in propria sede, quam in partibus remotis, ramusculis nervorum cervicalium secundi et tertii paris instructis, ita ut aegrotantes, symptomaticis doloribus excruciati, molestiarum cervicis vix mentionem habeant. Medici autem, si quod, raro consulti, observarent symptoma, rarius ea qua par erat attentione examinantes, gravitatem rei non perspexerunt nec, quomodo cohaereant molestiae cervicis cum dentium dolore, verosimili aliqua conjectura assequi potuerunt.

Neque nunc res omni caret difficultate, quum nervorum cervicalium propagines non continuo ductu dentes accedere videantur, sed pro parte per ganglia sympathici nervosque cerebri, quintum scilicet

atque facialem, dentibus dentiumque viciniae communicantur.

Fundamenta autem explicationis innituntur novae de nervorum structura atque functionibus doctrinae, quae tum experimentorum, tum microscopii usu his nostris temporibus mirum in modum adolevit, et qua demonstratur, fibras minimas, quas dicunt primitivas, nervorum cerebro-spinalium, quamcumque ineant societatem, quascumque forment implexiones, semper seorsim distribui, ita ut unaquaeque functionem sibi primitus datam tueatur; nervos itaque plerosque, qui simplices habebantur, ex variis fibris tum motoriis, tum sensiferis, tum organicis, quae dicuntur, compositos, ita mixtos esse, ut functio propria singularum fibrarum, illaesa reliquarum actione, per discissionem vel compressionem originis nervi laedi possit. Haec ne per ganglia quidem sympathici mutari constat, quum compertum sit, fibras motorias atque sensiles ex medulla spinali atque cerebro in ganglia introductas sine ulla functionis mutatione iterum demitti. De fibris cinereis, sympathico fere propriis, res dubia aliquantulum haerebat; anatomicorum interim solertia comprobatum est, eas quoque ex spinali medulla proficisci atque per ganglia fibris motoriis atque sensiferis cerebri et medullae spinalis consociatas ita distribui, ut quaecumque corporis pars, hisce propaginibus medullae spinalis instructa, ex egregio hoc vitae organicae fonte nutritionis, vel etiam secretionis

principium hauriat. Fibras eas vasis sanguiferis perpetuo comites adhaerere, notissimum, nec minus certa societas earum cum plerisque nervorum cerebralium ramis. Ita constat, ramos omnes trigemini fibris cinereis conjunctos esse; nervum vero vidianum iisdem, ganglio magno cervicis proficiscentibus, constitui. Quos radices cerebrales sympathici dixerunt, optimo jure propagines praetergresso jam saeculo Petitus appellavit.

Hinc quoque dubitari nequit, nervos etiam gingivarum atque dentium, ex ramo secundo atque tertio trigemini ortos, ramusculis organicis instructos esse, quibus vita organica dentium innitatur, et qui, quantum conjectura assequi licet, affectionem spinae rheumaticam dentibus communicent, ita ut ramusculorum originibus in vertebrae secundae articulis compressis, vel ipso neurilemate ea in regione rheumatico malo affecto, secundariae oriantur affectiones partium, peripherica fibrarum extensione instructarum.

Secundarios autem esse dolores ipsi denti proprios, non modo analogia cum innumeris fere aliarum corporis partium, tum praecipue membranarum mucosarum affectibus ex rheumate vertebrarum provenientibus, sed etiam, quod jam tetigimus, remediorum effectibus luculenter probatur; neque illa epistrophei affectio, inter ceteras frequentissima, ullo modo a natura rheumatismi vertebrarum differt.

Quod vero ad vehementiores, accessorios dentis

dolores pertinet, eos ex eodem quidem fonte, sed alia via derivandos esse censeo. Facialem nervum affectum esse viri docti crediderunt; sed quum exploratum sit, nervum facialem origine motorium esse, in promtu etiam erat, sensoriam ejus facultatem, ideoque neuralgiam vias ejusdem tenentem, aliunde, petendam esse. Re vera Eschrichtii experimentis comprobatum est, anteriorem ejus partem, discisso quinto, sensoria facultate privari, non tamen posteriorem sub meatu auditorio decurrentem; quae observatio nullo modo, ne per ramusculum quidem nervi vagi, proprio ductu calvariam egredientem, quem laudavit Muellerus (Physiol. I. p. 644), explicatur, nisi perspecto cervicalium decursu, qui frequentissimi facialem adeunt, sic ut nervus superficialis colli ex pari tertio cervicalium recta via omnibus nervi superficialis inferioris ramulis nervi duri ita jungitur, ut omnes sine dubitatione ex hac origine derivare possis.

Notandum mihi hic est, omnes, inveteratos quoque casus prosopalgiae, quos accuratius observare mihi contigit, cum rheumatismo vertebrae secundae colli conjunctos fuisse, atque medicatione congruente tam feliciter sanatos esse, ut diagnoseos atque eventuum convenientia devinctus Prosopalgiam nec faciali nec trigemino, sed nervis cervicalibus iisdem adjunctis adscribendam esse censeam, si exceperis casus, certe rarissimos, in quibus dolor faciei symptoma cerebri ipsius laesi constituat.

Ejusdem generis non solum, sed originis etiam est Ophthalmia catarrhalis-rheumatica scrophulosorum praesertim atque arthriticorum, quae perpetuo eodem epistrophei malo consociata invenitur, neque raro neuralgiae supraorbitali concomitata, exulcerationem semper corneae destructionemque totius oculi minatur. Cinereas ganglii magni fibras in causa esse; physiologicae rationes et experimenta abunde confirmant. Saepissime autem expertus curam cervicis malo convenientem non satis laudare et commendare possum.

Eandem originem defluvium quoque capillorum semper agnoscit, quod reconvalescentibus, vel sanis quibuscunque hominibus, refrigeratione sudantis capitis commissa, saepe evenit, postquam crines per aliquot dies ad tactum doluerunt pectinemque respuerunt. Novi hominem consistentis aetatis, qui brevi tempore, ceterum sanus, hoc malo, quasi raso capite, calvus factus est; novi plures, quibus ex gutta quadam pluviae capiti excalefacto incidente, crines ejus loci, satis circumscripti, sensiliores facti mox defluerent. Rheumatica haec bulborum capillitii atque aponeureseos affectio citissime vesicatorio, affectae cervicis parti imposito, debellatur, defluviumque capillorum si quis satis mature remedio certissimo utatur, praecavetur.

Huc etiam pertinent variae anginae species, et rarissimae et frequentissimae, praesertim epidemi-

cae, ne angina quidem gangraenosa puerorum scarlatina laborantium excepta.

Formarum varietas singularum affectionum naturam non mutat. De prognosi, ut paucis absolvam, notandum est, periculum minime dolorum vehementia designari, ita ut inter varios morbos, qui rheumatismum vertebrarum sequuntur, periculosiorem diceres, qui doloribus fere careat, quam qui majoribus cruciatibus conjunctus sit. Hic quoque dolorem custodem vitae appellare licet, quod auxilium accieat, dum pars quaecunque in periculum vocata, adhibitis justo tempore remediis, interdum jam accommodato vitae regimine servari possit. Vix autem, eo tempore praeterlapso, gravissimae interioris structurae mutationes, ad dissolutionem vel ad gangraenam accedentes, sperare adhuc aliquid sinunt.

Prophylaxis cariei versatur cum in evitandis rebus, quae denti atque gingivae nocent, tum in avertenda refrigeratione, quae ansam praebet affectionibus, tum vero maxime in affectione epistrophei curanda, ut primum apparuerit.

Inter ea vero, quae per se nocitura videantur, referri possunt omnia, quae dentes infestare, magis vero, quae gingivas irritare vel laedere possint; morsus v. c. corporum solidiorum, usus frequens dentiscalpiorum e ferro aliove metallo paratorum, vel nimis acuminatorum, pulverum acriorum, dentibus fricandis inservientium, liquorum acrium, rodentium; omnia denique alia, quae ratione mecha-

nica vel chemica integritatem dentium periclitantur, ad quam conservandam saepius eadem, infaustissimo quidem eventu, a medicis dentariis adhibentur; ita ut nimia dentium cura plus noceat, quam incuria munditiei. Vix enim unquam plus detrimenti capiunt, quam ex odontistarum rudi opere ad depurandos dentes suscepto, vel ex chemicis auxiliis ad dealbandos eos usurpatis. Multos audivi querentes, se ex illo tempore, quo primum medicis dentariis usi essent ad mundandos dentes, eorum demum carie affectos esse.

Quorum ergo interest, dentes longo servare usui, monitos etiam atque etiam volo, ne nimio venustatis studio integritatem partium utilissimarum periclitentur utque impudentes circumforaneos janua prohibeant. Sine dubio ea res ad disciplinam et securitatem publicam pertinet, et quanquam legibus provisum est, ne quis, omnis scientiae expers medicinam dentariam exerceat, tamen melius esset, si odontistae, sicut olim oculistae, herniarum atque calculorum sectores, praesertim circumforanei omnino ab arte medica removerentur.

Attamen plus, quam laesiones, refrigerationem ad genesin cariei valere, jam diximus; neque opus est amplius monere, frigus, praecipue calescente corpore vel singulis tantum ejus partibus, e. g. pedibus susceptum, in causa esse. De re notissima, neque tamen satis intellecta, nonnulla dicere liceat, quae ad evitandam refrigerationem pertineant.

Refrigerationem vestium densitate vel numero, vel perpetuo hypocausti calore prohiberi non posse, immo arcessiri omnes sentiunt, qui nimio apparatu corpus a frigore defendunt, quum experientia constat, easdem affectiones, quae ex admisso frigore oriuntur, calore quoque nimio, non ita raro exoriri. Nunquam ergo satis inculcandum est, aliud esse frigescere, aliud refrigerari, et ad evitandas frigoris calamitates frigori inevitabili assuescendum esse, quo leviores frigoris gradus facillime perferantur, atque sudoris proclivitas minuatur.

Nihil vero ad hunc scopum plus confert, quam balneorum frigidorum usus, quae delicatioribus ita parantur, ut balneum initio tepidum, affusa aqua frigida calore sensim privetur, donec frigescat. Salutarem quoque effectum lavationes simplices frigidae exserunt. Valde probandum est, his nostris temporibus plures inveniri, qui curam utilissimam cuti impendentes, aquis, praesertim frigida, utantur.

Quod vero ad vestitum pertinet cum sanitatis conservandae causa, tum praecipue ad evitandam cariem, pedes bono tegmine induantur necesse est, quum ex sudore pedum suppresso praeter dentium cariem alia innumera fere mala oriuntur, quae a medicis exercitatissimis non immerito ex hoc fonte derivantur, mea vero experientia semper cum rheumatismo vertebrarum, diversas spinae regiones occupante, sociata inveniuntur. Quae si vitare velis, pedum ratio habenda est, ut sudor eorum conserve-

tur, et ubi evanuerit, revocetur. Sin vero abundantius secernatur, commodo esse videtur ejus copiam minuere, quod optime sine ullo sanitatis detrimento lavationibus spirituosis fieri potest.

Maximum autem prophylaxeos adjumentum in morbi cariem praegredientis diagnosi atque cura positum est, quo neglecto omnia artis praesidia incassum adhibentur. Cura vero semper simplicissima est et felicissima, simulatque rheumaticam affectionis vertebrarum naturam cognoveris, omnemque inflammationis metum seposueris. Antiphlogistica enim remedia in hoc morbo nihil proficiunt, neque sanguisugae neque cucurbitulae aliquid opis ferunt, unguentum cinereum frustra illinitur, omnia incassum tentantur, nisi methodo utaris rheumatismo articulorum accomodata. Rubefacientibus atque vesicantibus remediis opus est, interdum etiam diaphoreticis et evacuantibus, regimine semper diaphoretico.

Morbum vix ingruentem neque complicatum saepissime perspiratio Sanctoriana aucta brevi sanat; qui vero sudare non possunt, minus facile morbo liberantur.

Removeantur arte, quae sudorem praepediunt; quum igitur plerique propter frigus pedum quietem capere ideoque sudare nequeant, pediluvium administretur calidum ex cinere, addito sale culinari vel kali caustico vel sinapie paratum.

Qui vero ob dolorem perspiratione salutari praepediuntur, statim ad promtissimum artis auxilium

confugiant: utantur sinapismo, vel cataplasmate radicis armoraciae recentis contritae ex aceto parato, remedio mihi usitatissimo, vel aliis rubefacientibus, quae cervici ita imponuntur, ut processus spinosus epistrophei perfecte operiatur. Dolores dentium statim remittunt et evanescunt brevissimo tempore, simulac cutis rubedine tingitur, quo facto cataplasma removeatur. Vix decem horae sexagesimis ad profligandum dolorem opus est. Succedente demum sudore morbus finitur.

Si vero morbus jam per tres dies perduraverit, satius est vesicatorium parvae quidem magnitudinis eidem loco imponere, emplastro adhaesivo firmatum. Juvat accelerandae operationis causa chartam bibulam sericeam oleo impraegnatam emplastro supponere.

Haec vesicatoria in quocunque morbi stadio summam merentur laudem, quin adeo in suppuratione gingivarum ex neglectis morbi insidiis oriunda.

Praetermittendum tamen non est, primas in curando morbo partes perspirationem agere auctam, atque sudorem, quem criticum appellant, quo non sufficiente vel per complicationes varias impedito, morbus justo contumacior conaminibus naturae atque artis renititur.

Frequentissime vero sordes gastricae crisin cutaneam praepediunt, ita ut evacuantibus remediis ad perspirationem promovendam opus sit. Quae cum ita sint, emeticum sine mora exhibendum est,

potentissimum certe sudoris movendi remedium; vel, ubi hoc minus quadrat, atque lenioribus auxiliis utendum esse videtur, alvus ducenda est, quod per Sennam cum justa Valerianae portione ita fieri potest, ut per dies alvus subducatur, noctu vero sudor promoveatur.

Ubi destructio dentis jam inceperit, doloresque vigeant, eadem cura instituenda est, quae, quod ad molestias quidem, prospero semper successu ornatur, ita ut extractione dentis cariosi non opus sit; cariem vero ipsam non tangit, quae remediis semper vano conatu impugnatur.